

[34] Ancō rēgnante Lucumō, vir impiger ac dīvitiīs potēns, Rōmam commigrāvit cupīdine māximē ac spē māgnī honōris, cūius adipīscendī Tarquiniīs – nam ibi quoque peregrīnā stirpe oriundus erat – facultās nōn fuerat. 2 Dēmarātī Corinthiī filius erat, quī, ob sēditiōnēs domō profugus, cum Tarquiniīs forte cōnsēdisset, uxōre ibi ductā duōs filiōs genuit. Nōmina hīs Lucumō atque Arrūns fuērunt. Lucumō superfuit patrī bonōrum omnium hērēs: Arrūns prior quam pater moritur uxōre gravidā relictā. Nec diū manet superstes filiō pater; 3 quī cum, īgnōrāns nurum ventrem ferre, immemor in testandō nepōtis dēcessisset, puerō post avī mortem in nūllam sortem bonōrum nātō ab inopiā Egeriō inditum nōmen. Lucumōnī contrā, omnium hērēdī bonōrum, cum dīvitiae iam animōs facerent, 4 auxit ducta in mātirimōnium Tanaquīl, summō locō nāta et quae haud facile iīs, in quibus nāta erat, humiliōra sineret ea quō innupsisset. 5 Spernentibus Etrūscīs Lucumōnem exsule advenā ortum, ferre indignitatem nōn potuit, oblītaque ingenitae ergā patriam cāritātis, dummodo virum honōrātum vidēret, cōnsilium migrandī ab Tarquiniīs cēpit. 6 Rōma est ad id aptissima vīsa: in novō populō, ubi omnis repentinā atque ex virtūte nōbilitās sit, futūrum locum fortī ac strenuō virō; rēgnāsse Tatium Sabīnum, arcessitum in rēgnum Numam ā Curibus, et Ancum Sabīnā mātrem ortum nōbilemque ūnā imāgine Numae esse. 7 Facile persuādet ut cupidō honōrum et cū Tarquiniī māterna tantum patria esset. Sublātīs itaque rēbus āmigrant Rōmam.

8 Ad lāniculum forte ventum erat. Ibi eī, carpentō sedentī cum uxōre, aquila suspēnsīs dēmissa leviter ālīs pilleum aufert, superque carpentum cum māgnō clangōre volitāns rūsus velut ministeriō dīvīnitus missa capitī aptē repōnit; inde sublīmis abiit. 9 Accēpisse id augurium laeta dīcitur Tanaquīl, perīta ut volgō Etrūscī, caelestium prōdigiōrum mulier. Excelsa et alta spērāre complexa virum iubet: eam alitem eā regiōne caelī et ēius deī nuntiam vēnisse; circā summum culmen hominis auspiciū fēcisse; levāsse hūmānō superpositum capitī decus, ut dīvīnitus eīdem redderet. 10 Hās spēs cōgitātiōnēsque sēcum portantēs urbem ingressī sunt, domiciliōque ibi comparātō L. Tarquinium Prīscum ēdidēre nōmen.

11 Rōmānīs cōnspicuum eum novitās dīvitiaeque faciēbant; et ipse fortunam benīgnō adloquiō, comitāte invitandī beneficiīsque quōs poterat sibi conciliandō adiuvābat, dōnec in rēgiam quoque de eō fāma perlāta est. 12 Nōtitiamque eam brevī apud rēgem liberāliter dexterēque obeundō officia, in familiāris amīctiae addūxerat iūra, ut pūblicīs pariter ac prīvātīs cōnsiliīs bellō domīque interesset et per omnia expertus postrēmō tūtōr etiam liberīs rēgis testāmētō instituerētur.

[35] Rēgnāvit Ancus annōs quattuor et vīgintī, cuilibet superiōrum rēgum bellī pācisque et artibus et glōriā pār. Iam filiī prope pūberem aetātem erant. Eō magis Tarquinius īnstāre ut quam prīmum comitia rēgī creandō fierent. 2 Quibus indicīs sub tempus puerōs vēnātum ablēgāvit.

Isque prīmus et petisse ambitiōsē rēgnum et ōrātiōnem dīcitur habuisse ad conciliandōs plēbis animōs compositam: 3 sē nōn rem novam petere, quippe quī nōn prīmus, quod quisquam indignārī mīrārīve posset, sed tertius Rōmae peregrīnus rēgnum adfectet; et Tatium nōn ex peregrīnō solum sed etiam ex hoste rēgem factum, et Numam īgnārum urbis, nōn petentem, in rēgnum ultrō accītum: 4 sē, ex quō suī potēns fuerit, Rōmam cum coniuge ac fortunīs omnibus commigrāsse; māiōrem partem aetātis ēius quā civīlibus officiīs fungantur hominēs, Rōmae sē quam in vetere patriā vīxisse; 5 domī militiaeque sub haud paenitendō magistrō, ipsō Ancō rēge, Rōmāna sē iūra, Rōmānōs rītūs didicisse; obsequiō et observantiā in rēgem cum omnibus, benīgnitate ergā aliōs cum rēge ipsō certāsse. 6 Haec eum haud falsa memorantem ingentī cōnsensū populus Rōmānus rēgnāre iussit. Ergō virum cētera ēgregium secūta, quam in petendō habuerat, etiam rēgnantem ambitiō est; nec minus rēgnī suī firmandī quam augendae reī pūblīcae memor centum in patrēs lēgit, quī deinde minōrum gentium sunt appellātī, factiō haud dubia rēgis, cūius beneficiō in cūriam vēnerant.